

Exercitatio Christiana De Augusto Et Sacro-Sancto Nomine Christianorum Occasione Loci Actor. Capite XI. vers. 26.

Tiguri: Typis Davidis Gessneri, MDCCX.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862445493>

Druck Freier  Zugang



39

Fa-1092 (39.)

21.22.

2.

33

34

35

39

7.

8.

9.

10.

2

2

16.

1

8.?



EXERCITATIO CHRISTIANA.
De
AUGUSTO & SACRO-SANCTO
NOMINE
CHRISTIANORUM
OCCASIONE LOCI.

Actor, Capite XI. vers. 26.

Quam,

Assistente Christo Principe salutis
Christianorum, sub

P R Æ S I D I O.

Admodum Reverendi, Clarissimi Doctissimi Viri

D. JOH. BAPTISTÆ OTTH,
Diaconi Templi Carolini apud Tigurinos
meritissimi.

Publicæ disquisitioni subjicit.

STEPHANUS MORITZ HARSANYI Ungar:

Author & Respondens.

Ad diem Februarii.

H. L. Q. S.

TIGURI,
Typis DAVIDIS GESSNERI.
Anno MDCCX.

VIRIS
MAGNIFICENTISSIMIS, NO-
BILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS.

D. HENRICO ÆSCHERO, }
D. ANDREÆ MEIERO. } Confulibus.

D. JOH. LUDOVICO HIRZELIO, }
D. MATTHIÆ LANDOLTO, }
D. JOH. JACOBO HULDRICO, } Proconfulibus.
D. DAVIDI HOLZHALBIO, }

D. CHRISTOPHORO WERDMUELLERO, }
D. JOH. HENRICO WERDMUELLERO, } Questoribus

D. CASPARO DE MURALTO, }
D. SALOMONI HIRZELIO, } Archiceconomis.
D. HENRICO BODMERO. }

Illustris Reipublicæ Tigurinæ Præsidibus
PATRIÆ PATRIBUS ECCLESIAE
TUTORIBUS EXTERORUM PROTECTORIBUS
VERE CHRISTIANIS MUNIFICENTISSIMIS.

Exercitationem hanc in Signum
animi gratissimi,
D. D. D.
STEPH. MORITZ, HARS. Hung.



I.



Acerdotes summi, qui arcani cujusdam causâ mysterii, oleo ad id præparato ungerentur, Exod. XXX. 30. Christi nomine ornabantur apud Hæbræos. Neque verò soli, verum etiam Reges, 1. Sam. IX: 16. & XVI. 12. quos Prophetæ Divinò incitati spiritu cum unxissent, typicè quosdam, & adumbratos Christos effecerunt: Si quidem & ipsi, Regiæ illius potestatis, ac Dominationis Dei Verbi, qui solus verusque Christus est, imaginem in semet ipsis gerebant. Quin etiam ex Prophetis, nonnullos, sacro oleo delibutos 1. Reg. XIX. 16. typicè Christos fuisse accepimus. Adeo ut omnes hi ad Verum Christum, divinum ac cœlestè Verbum referantur; quippè qui solus omnium gentium Pontifex, solus Rex ac Dominus omnis creaturæ, solus deniquè inter Prophetas summus Propheta Patris existat.

II.

Hujus autem rei argumentum illud est, quod ex omnibus, qui apud veteres, oleo sacro typicè consecrabantur, sive ex Sacerdotibus, sive ex Regibus, sive ex Prophetis nemo tantam Divinæ Virtutis potentiam sortitus est, quantam Servator ac Dominus noster, qui solus verusque Christus est ostendit. Nullus certè eorum, quantumvis, dignitate & honore apud suos, per continuam antiquissimæ stirpis seriem nobilitatus, ex eâ quam gerebat typica appellatione, subditos sibi, Christianos cognominavit. Neque enim figuræ vis, tantum in illis poterat

operari, quantum veritas ipsa, per Servatorem nostrum, à Patre Veritatis infulus omnibus exornatum exhibita. Ac tamen non eodem modo, titulos Pontificis Regis & Prophetæ, consecutus fuit, tamen & ipse magis quàm illi Christus cognominatus est, & utpote solus verus, que Dei Christus, universum terrarum orbem *Augustò* et *Sacrosancto Christianorum nomine* replevit. Quò illustri ac honorificò titulò, primum eos qui fidem in ipsum professi veram, discipulique dicti antea, per Spiritum suum, notà indelebiter per omnes ætates perennante, Antiochiæ Syriæ signavit, ut scribit Sacer Lucas. Act. XI. 26. *χηματίσαι τε πρώτον ἐν Ἀντιοχείᾳ τοὺς μαθητὰς Χριστιανούς*

III.

Theodoretus in Esajam pag. 140. refert primavos, Christianos, cum aliquem commendarent dixisse; *Verè Christianus*; & rursus cum admonerent; *Age ut Christianus, Fac quæ Christianum decent*. Ita, laudis & benedictionis plena fuit appellatio. Nobis cum sit, *æque etiam amoris*; vitio verti nequit, si amore Christianò in Christianos, Christianè, inter Christianos, de *magno & venerabili nomine* Christianorum, occasione loci Act. XI. 26. publicæ disquisitioni, paucula quædam subjiciamus. Summa totius progressus. Nomen Christianorum & instinctu Divino, à Sanctis Doctoribus Paulo & Barnaba; ab unctione in communionem Jesu Christi, & solum iis qui in Christum verè credere, publicè impostum; & ut omnes, nonnisi eos complacere Deo Patri, quorum in ore, corde, & opere, semper esset Christus intelligerent.

IV.

Drusius, Grotius, Cornelius à Lapide aliique interpretes, affirmant discipulos Christi, à Christo nominatos Christianos, more Græcorum, qui à Magistris discipulos nominabant, ut *Pythagoreos, Platonicos, Aristotelicos, Epicureos*. Verùm venia salva, pacèque tantorum Virorum, eo nomine sublimius quid portentum, neque adedè temerè & fortuitò discipulis Christi inditum, τὸ καλὸν ὄνομα τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς; *Pulchrum & honestum, & bonum, nomen invocatum super vos*, inquit S. Jacobus II: 7. id est nomen, quò vos vocamini, quodque invocare soletis, puta nomen Christi & Christiani, Hebraismus est,

Scriptu-

✱) : (✱

Scripturæ S. usitatus. Quibus verbis sine ullo dubio: sanctiùs aliquid & augustiùs, quàm sectæ communionem vult intelligi. Advertente sanè Ambrosio sermone 12. in Psal. CXVIII. alludit S. Apostolus, ad verba Esajæ, LXII. 2. יקבנו יהוה פי אשר חדש שם לך וקרא. *Et vocabitur tibi novum nomen, quod os Domini declarabit.* Quæ secundum Ignatium loquuntur de Christianis, sortitaque suum complementum, cum primùm in Syria Antiochia, discipuli appellati sunt Christiani. Videri hac de re potest in Epistola ad Magnesios. Neque diversum ab eo sentiunt, Theodoretus in caput 62. Esajæ. Gregorius Nazianzenus Oratione 16. Chrysostomus Homilia 3. Euseb. Hist. Eccles. l. 1. c. 2.

V.

Tandem qui olim, Sectam fecere Philosophi, nonde quavis apellatione officium designante, sed de nomine suò proprio, discipulis suis, & sectatoribus reliquerunt nomen: ergò Discipulis Servatoris, non à nomine ejus proprio, sed nomine officium denotante appellatis, disparem & longè nobiliorem apellationis rationem fuisse oportet. Denique idem nomen à fidelibus libentèr admissum, & Luca usurpatum Act. XXVI. 28. Itemque S. Petro, 1. Epist. IV. 16. sequorùmque proximè seculorum credentibus, tantò in pretio salutari habitum, ut solum propter hoc nomen mortem oppetere non vererentur. Hinc Martyres & alii Sancti Viri interrogati: quinam essent? responderunt; se esse Christianos, inque hoc nomine summam quasi verunt gloriam. Lucianus Martyr; ut refert Chrysostomus. Homil. 75. Varia interrogatus, ad quamvis interrogationem respondebat ὅτι χριστιανός εἰμι μόνον. *Ego tantum Christianus sum.* Et Carnifice dicente, quanam est Patria tua, quod vitæ institutum? quos habes majores? Ille ad omnia respondit, ὅτι χριστιανός εἰμι. *Christianus sum.* Polycarpus urgenti Præsidi ut juraret per fortunam Cæsaris, unum hoc respondit: *Christianus sum,* cui id non licet; testis Euseb. l. 4. c. 5. Uli hadares etiam Eunuchus, Saporis Persarum Regis Pædagogus, ob religionis Christianæ professionem morti adjudicatus, id unum à Rege petiit, ut publicè promulgetur, se non aliam ob causam quam quod Christianus esset mori. Sic enim de eo Sozomenus lib. 2. c. 9. *Pro omnibus quæ unquam vobis largitus sum, banc mihi des retributio-*

A 3

nem

nem --- præco omnibus significabit, *Usthadarem capite plecti, non quidem, quod contra regnum, quidquam deliquerit, sed quod Christianus sit, & quod Deum suum, Regi obtemperans abnegare noluerit.* Hæc, atque similia sanctorum exempla, manifesto monstrant, apellationis Christianorum non fortunam, verum Deum ipsum authorem. *Nihil enim terribile ubi Patris dilectio; neque triste ubi Christus est gloria,* ait Eusebius. *Invidit hoc nomen fidelibus Julianus Apostata, Galilæos pro Christianis nominans, atque ut ita vocarentur publicâ lege decernens, Ex quo perspicuè ostendit apellationem à Christo, esse Divinam maximique ad gloriam momenti: quantam eam ipsis eripere cogitavit. Non nisi hoc ea ratione fecit, quod hujusce nominis vim & potestatem instar dæmonum reformidaret, dicit Nazianzenus. Orat. 3. contra Julianum.*

VI. 3

Lorinus scribit, non constare, quis nomen Christianorum discipulis Christi Antiochiæ indiderit, num Apostoli, an Fideles, ex Judaismo, aut Gentilitate, vel ipsi infideles. *Tertullianus* in Apologetico adversus Gentes. cap. 7. *Prodit Tiberii tempore nomen Christianum in seculum introiisse.* *Epiphanius* verò vult, certò decertò stabilitum esse, id nomen ab ipsis Apostolis. Verba ejus hæresi 42. sic se habent. *Non prædicant se ipsos Apostoli, sed Jesum Christum Dominum, quapropter non est heresis, neque Ecclesia nomine Apostolorum prædicata, nunquam enim audivimus Petrinos aut Paulinos, sed ab initio una prædicatio omnium Apostolorum, non se ipsos prædicantium, sed Christum Jesum Dominum. Et nomen quoque omnes ideo, unum indiderunt Ecclesiæ, non de se ipsis, sed Domini ipsorum Jesu Christi; cum ab Antiochia cœperint Christiani vocari.* Quicquid hi senserint. Certum est, vocabulum *χριστιανισμός*, apud scriptores Græcos, interdum significat rebus explicandis constituendisque vaco. Interdum divinitus admonitus loquor. Item expono, refero ad populum, deniquè decerno. Videantur Viri eruditissimi, *Budæus, Stephanus, & Suicerus* in Thesauro Ecclesiastico. Quid igitur prohibet dicere, Sanctos Doctores Paulum & Barnabam, cum docerent turbam multam, rebusque Divinis explicandis & constituendis vacarent, divinitus admonitos, decretoriè retulisse, nominasque

discipu-

discipulos, Christianos. Cum hæc interpretatio, authoritati Scripturæ sacræ nihil quidquam detrahat. Ex consensu Doctõrum Primitivæ Ecclesiæ ostensum superiùs, per nomen novum de quò Spiritu Prophetico locutus Esajas LXII. 2. intelligi nomen Christianum; secundum autem Sanctam Prophetiam, ab ore Jehovæ debuit id præfigi & annuntiari. Ergo quicumque nominavere discipulos, Christianos Antiochiæ, admonitione Divinâ decretoriè appellavere. Quibus autem quæso magis eompetit hæc prærogativa, quàm sanctis Viris Paulo & Barnabæ, magnalia ipsius Dei totum annum, fidelibus Antiochiæ annuntiantibus, ex integroque dependentibus ab ore Jehovæ. Ea propter Spiritus Sanctus, denominationem Christianorum, primùm Antiochiæ, nonnisi, cum eorum studiò fideli in prædicatione Evangelii ibidem factò conjungit. Rectè Erasmus igitur in hunc locum: *Accidit autem ut annum totum consuetudinem agerent cum congregatione, docerentque turbam multam, & primùm Antiochiæ vocarent discipulos Christianos.* Nam illi vocabant eos Christianos.

VII.

Denique, stante nostra Interpretatione, nulla pugna nobis, cum primitivæ Ecclesiæ Doctõribus. Quid quæso contrarii? Si dicatur, cum Tertulliano Romæ, tempore Tiberii jam auditum nomen Christianorum, atque etiam ab Apostolis certò decreto stabilitum, ut vult Epiphanius; demum, postea à Paulo & Barnaba publicè, solenniter Antiochiæ fidelibus impositum. Verba autem Ignatii Martyris, in Epistola ad Magnesios; *apellatos primùm discipulos Christianos cum Petrus & Paulus fundarent Antiochiæ Ecclesiam*, habemus pro irreptiis. Certissimum est ex Act. XI. 19. 20. Neque Judæis, neque Gentilibus Antiochensibus, Petrum primùm Evangelium annuntiasse, quem admodum supponitur in verbis Ignatii, sed illis quidem disperfos quosdam, ex afflictione ob Stephanum, his verò quosdam Cyprios & Cyrenenses. Nuntio igitur accepto, de plantata & egregiè aucta ille Ecclesia, Barnabas Hyerosolimis ab Apostolis missus fuit, qui Tarso, Antiochiam Paulo adducto, Ecclesiam auxit, eoque integri anni spatio deduxit, ut ibidem discipuli primùm nominarentur Christiani vers. 26. Opinio Suidæ censentis,

eos, qui primum vocabantur Nazaræni, & Galilæi, Christianos vocatos, cum S. Petrus Romam *abiturus* Evodium sibi successorem in sede Antiochena declaravit, *Genebrardus* id factum putat anno Christi 49. qui fuit à morte *ejus*. 16. meritò rejicitur à quibusdam eorum, vid. Cornel. à Lapide, qui volunt sedisse Petrum Antiochiæ, ante Barnabæ missionem; cum id antè factum esse, satis hic innuat S. Lucas.

VIII. 3

Sanctus Paulus in Epistolæ suæ ad Ephesios scriptæ c. 1. de gratuita Dei electione, & adoptione differens, à quâ salus hominum tantquam ex vero & nativo fonte manat. Et quia tam sublime arcanum capi non potest, precans ut ad plenam Christi cognitionem Ephesios Deus abducat, describit Christum vers. 20, 21, 22. ut Principem nostræ salutis, & caput corporis Ecclesiæ. Quare nihil prohibuit discipulos Christi, ab ipso Ducè & capite nuncupari, à capite enim membra, à Rege subditos, ab Archistratego milites denominari quid usitatus? Idem ipse Apostolus dicit, in eo solo accipere, benedictionem omnem spiritualem in cœlestibus à Patre, qui per fidem ejus membra atque corpus sunt. Nimirum participatio gratiæ Divinæ in ipso præsupponit, communionem cum ipso, quæ necessario secum fert, unctiorem in eo, acque sic communicationem nominis ejus. Sicut enim oleum illud optimum, quod in caput Aronis olim effusum, è capite manavit in barbam, imo in oram togæ talaris ejus. Psal CXXXIII. 2. Pari modo unctio illa quam Christus caput fidelium, accepit, super solo ipso non mansit, verum & in ejus membra defluxit. Atque inde *χρηστανδι* simul uncti meritò nuncupati.

IX.

Errant itaque toto cœlo, qui Christianos dictos volunt ab unctiōe cœlesti, de quâ 1. Joh. II. 20. 27. Theophilus Antiochenus I. 1. ad Autolyicum sic scribit: *Propterea Christiani vocamur, quia nos etiam unguento unguimur Divinò.* Nequè aliter senserunt. Theophylactus in c. 15. Marci. Macarius Homilia 17. Unctio enim cum Spiritu Sancto, supponit unctiōem in Jesu cum eo, aliter nulla in fideles benedictio redundaret spiritualis, Hinc Joh. I: 16. dicuntur ex plenitudine Christi accipere *καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος*, id est gratiam cumulativam

exube-

exuberantem. Similiter errant, qui à suo Chrismate appellatos censent Christianos. Cyrillus Hierosolymitanus id disertis verbis asserit in sua Catechesi IV. *De quo Chrismate sic Jobius apud Photium: Primò enim etiam hic sub Novo Testamento baptizamur, deinde unguento unguimur, inde pretioso sanguine digni habemur.* At in Ecclesia primitiva Apostolica, nihil auditum fuit de tali chrismate. Chrisma Apostolorum temporibus, solâ impositione manuum fuit celebratum. Testatur hoc *Simeon Thessalonicensis*, cujus hæc sunt ea dere verba. *A Philippo baptizati, ut qui solum baptisma suscepissent, Petro ac Johanne imponentibus manus Spiritum Sanctum accipiebant. Quod sane hoc est mysterium, siquidem impositio manuum unguentum præbebat, ut & in Apostolis factum est, ac per ipsos multis aliis. Et tùm quidem impositio manuum, ipsum est consecratum ac magnum unguentum apellatum.*

X.

Præterea non statim, nec in eodem actu baptizandi eam manuum impositionem adhibebant, ad evocandum Sanctum Spiritum super baptizatos; sed iis qui jam dudum baptizati fuerant, ut in eos Spiritus Sanctus descenderet, manus imponebant, ut patet ex Act. VIII, 17. *Postremò.* Finis utriusque actionis diversus, hujus nempe Chrismationis, & illius manuum impositionis, quæ ab Apostolis fiebat. Chrismate, baptizati ungebantur, ut participes fierent regni Christi. At per manuum impositionem Apostolorum, baptizati recipiebant Spiritum sanctum, cujus superventum efficacitè sentiebant prophetando & linguâ loquendo.

XI. 7

Ut Filius Dei quâ Messias, vel unctus Patris, ab ipso ad munus Sacerdotale, Propheticum, & Regium fuit partim destinatus, partim necessarii ad ejus administrationem donis ornatus: ita unctura in communione Christi cum eo, docet unctos, ad munus aliquod à Deo electos, instructosque ab eodem donis ad officium rectè obeundum necessariis. Officium exprimit Spiritus Sanctus, quando eos nomen Christi Jesu verè profitentes, Sacerdotes Reges & Prophetas apellat 1. Pet. II. 9. Apoc. I. 6. *Qui soli ii quorum in ore, corde & opere semper Christus, ut loquitur sanctè Macarius Homilia V. In eo Chri-*

stiani discrepant ab universo genere hominum, nec parvum est inter utrosque discrimen: nempe in eo, quod animus atque intellectus Christianorum cogitationi cœlesti semper sit deditus, æternaque bona contempletur, propter communicationem & participationem Spiritus Sancti, quia desursum ex Deo nati sunt, & in veritate & potentia, Filii Dei ut fierent digni sunt habiti. Rectissimè itaque Primitivæ Ecclesiæ Doctores Hæreticis, improbisque hominibus denegarunt nomen Christianorum. Domitianus Imperator Metium Pomposianum interemit, quod nomina Magonis & Annibalis ut pote illustrium Ducum Servis indidisset, ait Suetonius in ejus vita cap. 10. Alexand. M. ignavum militem Alexandrum vocari vetuit, ni se Alexandri animos, & decora imitaturum promitteret teste Curtio. Cur ergo Christiani vocentur qui Christi vel fidem, ut Hæretici, vel mores & vitam, ut improbi, laceffunt, traducunt, violant, de decorant, infamant. Tertullianus de præscript. advers. Hæret. c. 37. sic infit. *Si Hæretici sunt, Christiani esse non possunt, qui Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt.* Clemens Alexand. in Protreptico circa finem sic etiam loquitur. *Nobis hoc nunc restat, ut dicamus, eum solum, qui est pius ac religiosus esse Christianum, & divitem, & temperantem, & generosum, & ea ratione Dei imaginem, & dicere, & credere justum esse, & sanctum, ut qui à Christo Jesu factus sit, cum prudentia, atque adeo jam quoque Deo similis.* E contra, verè, crassum erravere errorem, qui Christianorum nomen extenderunt ad ipsos etiam Gentiles. Id fecit Justinus Martyr, apologia ad Antoninum pium, aliique, ut ostendit. Casaubonus initio exercitationis primæ, & post eum Vossius, disp. 26, quæ est de virtutibus Gentilium Theol. XI. ubi etiam hanc sententiam solidè refutat.

XII. 77

Manifestum tandem ex his. voluisse Deum, nomine Christianorum, toti mundo declarare, ut non esse alium, nisi Christum suum, summum Regem, Prophetam Sacerdotem, in quò sibi summè complaceret: ita non esse alios, quos in eo amaret, nisi in eo solo Reges Sacerdotes & Prophetas. Quales autem dicantur ii, placet breviter declarare. *Propheta* dicuntur, a. Christum totò suò nomine, non jam solum in ænigmate & umbris, ut olim, sed rerum implemento, & re-

voluto

volutō umbrarum velo cognoscentes. *Esa.* LIV. 13. 1. *Joh.* II. 27. β. Certissimā fide tenentes, Christum esse talem ac tantum, cum verbis Scripturæ Divinæ, tum etiam rebus ipsis demonstratum, ac conscientia & fidei sensu compertum, qualis & quantus à Mose, cæterisque Prophetis, nominatus, & in posterum cognoscendus fuerat. γ. Hanc suam fidem apud alios constanter & intrepidè profitentes; suō quoque loco pro cognitionis salutaris fideique modulo, ædificationi mutuatæ incumbentes, alios verbo & exemplo docentes, lapsos errigentes, labefcentes & debiles firmantes, segnes excitantes, mœstos solantes &c.

XIII.

Sacerdotes autem ii, qui fiduciā accedentes ad Deum, *Rom.* V. 2. *Heb.* IX. 10. 20. 21. offerunt Deo, in hostiam, cum se, tum omnes facultates atque bona. quæ Dei beneficio habent, atque possunt. Olim holocaustorum ritu hæc significata. Huc igitur pertinent. α. Corpora Fidelium, quæ dicuntur, hostia viva, rationalis, sancta, Deo placens *Rom.* XII. 1. In quibus manifesta oppositio, tum ad ritualia, & umbras legis Mosaicæ; tum ad ea, quæ à peccatoribus offeruntur. β. *Laudes* Dei. *Heb.* XIII. 15. γ. Opera beneficentiæ & communicationis, *ibid.* vers. 16. δ. Preces sanctorum, in nomine Christi fundendæ; *Apoc.* V. 8. *Psal.* XIV. 1, 2. ε. Spiritus fractus &c. *Psal.* LI. 19. hoc est spiritus se abnegans, omnem salutis gloriam Deo, transcribens, justitiam Christi sitiens &c. ζ. Martyrium pro Christi nomine; Apostolo *σπονδῆ* libamen 2. *Tim.* IV. 16. Sacrificiis olim oblatis libamen affundi solitum, nemo ignorat. Apostolus in offerendo sacrificio, se se occupatum docet, sed ejus non restare, nisi ultimum actum, nempe libamen. Oblatio erant gentes ministeriō Apostolicō ad Deum adductæ *Rom.* XV. 16. Sic Philippensium suā operā conversorum fidem, *θυσίαν τῆς πίστεως* dicit Apostolus, super quā se paratum ostendit libari. *Phil.* II. 17. η. Denique dona quæcunque peculiariter accepta; ad ea enim offerenda quisque Sacerdos est. Hæc autem rectè sacrificia vocantur; cum quia sacrificiis V. T. significata fuere; tum quia Deo dantur, Deoque oblata in Christo acceptantur: sic elemosynæ sacrificia, *Heb.* XIII. 16. Quia Christus sibi factum reputat quod beneficit discipulis ejus egentibus. *Matt.* XXV. 40.

XIV.

Nulla ulli in hac vita immunitas, nulla ab armis vacatio, nullæ induciæ, nulla pax, hostibus, peccato, Mundò, Satana ad nocendum intentis identidem. Qui igitur liberâ ac bonâ conscientiâ 1. Tim. I. 18, 19. super fide semel sanctis tradita Jud. vers. 3. & quæ à fide defensa & custodita pendet animarum salute, 1. Pet. I. 9. fortiter in Christo Rege, constanterque pugnant, contra mox memoratos hostes, *Reges* nominantur. Pugnam ipse indixit Deus, & quasi clavicum cecinit jam olim in paradiso, edito *Πρωτευαγγελισμῶ* Gen. III. 15. Unde ab illo usque tempore, duo extitere Regna, Regnum puta feminis benedicti, & Regnum Satanæ: vel ut *Augustinus* dicere amat duæ Civitates; *Civitas Dei*, & *Mundus*, qui *Civitas Satanæ*. Contra verò: qui tentationibus Satanæ, mundi blanditiis, peccati illecebris herbam statim porrigit, næ is non pugnat, qui non pugnat, non rex est, qui non rex est, nec Christianus est.

XV.

Cum igitur Nomen Christianorum sit ita per honorificum, atque Divinum, consequitur Christianorum quoque Religionem esse permagnificam, ab ipso Deo natam, ac salutarem; cæteras autem omnes esse ab ipso Patre mendacii mendaciter fictas, eaque propter condemnandas. Sola verè in Religione Christiana, amplæ ipsa divitiæ, amplissimis summisque honoribus, ab ipso Deo fonte omnis gratiæ & misericordiæ in Vita futura adaugendæ reperiuntur, quas monstrat immobiliter, à Christo Principe salutis Christianorum facta denominatio. Si Christiani titulum sibi vendicare, eoque delectari auserit, quis igitur, Christianam religionem non veneretur, in eamque amorem summum, modis quibus potis est omnibus testari vereatur? Decet enim non modo nominari, sed & esse Christianum. *Gregorius Nyssenus* de perfecta hominis forma, hoc ita urget: *Omnia nomina que vocem hanc interpretantur, in nobis Christianis conspiciantur expressa. Neque enim ex appellatione res fiunt, sed earum subjecta natura, quæcunque tandem illa sit, apti nominis significatione declaratur.* Nec

aliud

aliud vult Nazianzenus Orat. 31. dum sic loquitur: *Cūr Christiani nomen est venerabile? annon quia Christus Deus? Petrum honore prosequor, nec tamen Petrianus vocor, & Paulum, nec tamen Paulianus nominatus sum. Non fero me ab hominibus nomen ducere, qui à Deo sum creatus. Proinde si quia Deum existimas ipsum, ideò Christianus vocaris, voceris, sanè & maneat in nomine, atque adeò in re. Si autem Deum credis rebus ipsis quòd credas ostende. Hinc idem ille Christianos Christianifantes beatos, ita de predicat, in beatitudinis & vitæ spiritualis regulis:*

*Felix qui Christum fortunis omnibus emit,
Cunctorumque crucem, quam gerit instar habet. &c.
Felix qui primos inter numerandus ovilis,
Christi colæ, tacitùs se tenet inter oves.
Felix qui Christum manibus non seignis honorat,
Multisque est vitæ regula, lexque pia.
Felix qui multis junctus, non plurima versans,
Distrahitur, pectus sed dedit omne Deo.*



Doctrina



Doctrina Christiana.
De S. S. Trinitate ex Scriptoribus Aetatis secundae.

Justinus Martyr, in Apologia quæ dicitur secunda ad Antoninum, de unius & verissimi Dei, cultu religioso ex professo agit; *Verum hunc ipsum Patrem, & qui ab eo venit, atque ista nos docuit, Filium, & Spiritum Propheticum, colimus, & adoramus.*

Theophilus Antiochenus ad Autolyc. l. 2. Similiter & tres dies, qui luminarium creationem præcessere, representant Trinitatem, Deum scil. & sermonem ejus, & sapientiam.

Athenagoras Legat. Pro Christianis. Quis igitur non miretur dicentes Deum Patrem, & Deum Filium. & Spiritum Sanctum ostendentes, & unionis eorum vim, & ordinis distinctionem, Atheos vocari.

Lucianus Samosatensis, in Philopatride inducit Catechetam Christianum, qui Catechumenum suum jurare docet, per Deum altè regnantem, magnum. æternum, & ætherium, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria, hæc tu Jovem puta hunc Deum.

Justinus in Dialogo cum Tryph. Verbum docet genitum ant-creaturas omnes, ante secula. Item. Istum qui apparuit Abrabe, & Ja

✽) : (✽

15

coho, & Mofi, denique dicitur, qui & scriptus Deus, alium ab eo esse, qui cuncta creavit, Deo numero dico, non animi conceptione vel sententia,

Polycarpus, Smyrnenfis Ecclesiæ Episcopus, ultimis vocibus. quibus piam animam Deo efflavit, apud Euseb. Hist. Eccl. l. 4. c. 15, ex epistola ejusdem Ecclesiæ, dicit non tantum sempiternum Pontificem, & unigenitum Dei Patris Filium Christum, sed claudit usitata veteribus *δοξολογία*; Per quem tibi, unâ cum ipso, in Spiritu Sancto, gloria, nunc & in secula seculorum.
Amen.

FINIS.



Ad Reverendum D. Auth. & Respond.

Quando sit exortum *Nomen*, quod dulce celebre,
Christiadum, mirâ dexteritate doces,
 Quem pietas ornat, Doctrina, Modestia rara,
Harsanyi: *Nomen* surgit & inde Tibi.
 Gratulor hinc merito: cœptis feliciter insta,
 Hungaricæ Gentis Gloria splendor eris.
 Affluat è coelis, opto, benedictio larga,
 Quam populo *Christi* pagina Sacra Vovet!

*Sic Doctiss. D. Autori Amico suo
 colendo, συνουσίας ένεκα ex ani-
 mo accinit & optat*

Andreas Pestaluzius
 Philof. Stud.

Ex scriptis doctum cognoscimus, ungue leonem,
 Augusto Christi nomine Christicolam.
 Cujus Tu primò nobis cum nomine mores
 Et formam, & fidei dogmata sacra tradis,
 ô Utinam nostrum cum primo tempore sacrum
 Hunc pariter noscat! sic pariterque colat!
 Sed Tu dum doctè nobis hæc talia scribis,
 Non sine laude olim *talia mille* dabis.
 Namque, Patris veram virtutem cernimus in te
 Hanc orna & porrò cum pietate fove.

*Doctissimo hujus disputationis Autori &
 Respondenti cum calidissimo fausti reditus
 in Patriam voto paucula hæc adscribit*

Johan. Henricus Ottius.
 Philol. Stud.














the scale towards document

(27)

aho vela, & quæ pro ingenii modulo attuli,
laxitati relinquo. Si non omnia ad omnium
res esse velint dicti Talmudici: *Non omnem ho-*
quoad omnem rem dissentias: Cuiuslibet enim ho-
miliber rei suus locus, sive usus. Meliora qui-
æqui consultum iri, quæ potui. DEO T. O. M.
adiorum meorum in Athæneo hocce directione
nas, humillimè supplicans, ut porrò mihi stu-
Ipsius honori dicatis, divinâ suâ gratiâ assi-
medicere, inconcusam valetudinem conservare,
nos facilesque largiri, Patronosque beneficos,
sicultatibus Musas meas eripiant, excitare velit,
gloriam, Deus mi, in Te confido, adiutor meus
aut despicias me, Deus salutis meæ, exaudi me-
um Filium IESUM Christum, meum & Sal-
tem & Servatorem, Amen!

*socios natura: sed illos
domini contaminetur amor
vos adamare priori:
seruo dulce piumque sequi.*

utorem Disputationis, non solum ob pietatem
ngularem in studiis diligentiam, sed etiam ob
s, quod Apostolo præcunte commendat, studium
i perquam charum, Deo cumprimis atque hinc
n Bonis quibuscunq; enixè commendat
SAMUEL SCHELGUIGIUS, D.
Disputationis Præses.

OMAS WILLER,

ἀναρχαματιῶς
ILLE TUUS AMOR.
mundo veræ pacis studiosus
quolibet, aut *si fieri potis est.*
observandum cum pax ineunda
s verbo Numinis ut sit; opus.

D 2

Hoc